



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro sui plena abnegatione, perfecta[ue] obedientia, ac pectoris pace,  
Precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Pro clarificatione anime post exitum huius vite, Precatio.*

**O** Amantissime Iesu Christe, Dei & hominum mediator, rogo te per ineffabile gaudium tuæ glorificationis, vt animam meam in hac vita purgare digneris ab omnibus maculis & tenebris peccatorum, vt ad illam securus perueniam claritatem, statim post exitum anime meæ de corpore, quam mihi incomparabili pretio nobilissimi sanguinis tui & pretiosissima morte tua comparasti, Amen.

*Iesus Christus vt omnium membrorum suorum glorificationis inestimabilem claritatem accepit à Patre.*

## GLORIFICATIO VI.

**A** Vegloria, honor, laus, & felicitas Sanctorum Angelorum, & gaudium æternum omnium Sanctorum, Iesu Christe rex gloriæ: Laudo, benedico, adoro, magnifico, & glorifico te, pro illo singulari gaudio, quod habuisti, quando charitas inæstimabilis, quæ te in mundum de sinu Patris tui deposuit, & omnibus miserijs, poenis & infirmitatibus, absque peccato, te subiacere fecit, nunc in gloriosa resurrectione tua, te & omnia membra tua, sicut in passione in tolerabili dolore repleuerat, incomparabili gaudio, honore & decore repleuit.

*Pro lumine gratis, perfectione, diuina voluntatis, Precatio.*

**O** Iesu amabilissime, per illud gaudium tuum rogo te, da mihi lumen gratiæ tuæ ad cognoscendum, & auxilium virtutis tuæ ad perficiendum in omnibus beneplacitum sanctissimæ voluntatis tuæ, vt sciam & feruentissime perficiam quicquid sit acceptum coram te omni tempore, ne vnquam negligam vel omittam, quod velis per me fieri, nec vnquam faciam, quod velis omitti, Amen.

*Iesus Christus vt electorum animos misericordia repletos, sua resurrectione, crebris, apparitionibus, gaudio consolationeque, affecerit.*

## GLORIFICATIO VII.

**A** Ve conuiuium plenissimum, pax dulcissima, solamen & consolatio omnium pie merentium, Iesu dulcissime: te laudo, adoro, magnifico, glorifico & benedico tibi pro illo ineffabili gaudio, quo ipso gloriosissimæ tuæ resurrectionis die, tuos electos pro te vehementer consternatos, lætificasti, ipsis apparens multis vicibus, dulciterque salutans, & pacem afferens: item cum illis conuiuans, & in fide exhortans corroborasti, & exinde per quadraginta dies crebris apparitionibus te eis manifestans, per multa argumenta instruens, scripturasque edisserens in fide plenè eorum animos consumasti.

*Pro sui plena abnegatione, perfecta, obedientia, ac pectoris pace, Precatio.*

**D** Ulcissime Iesu, bone Domine, per tuas appariciones gaudiosas & colloquia suauissima, per gratissimam & iucundissimam moram quadraginta dierum, quam cum discipulis peregrasti, donec in fide fierent perfecti, inflamma quæso cor meum igne perfectæ charitatis, vt promptissima & hilari voluntate meipsum ex toto abnegem & relinquam, tuamque voluntatem in omnibus perfectissime adimpleam: vt tibi sic in corde meo delectabile conuiuium perfectissimæ obedientiæ exhibeam: & non solum credendo & confitendo, sed iuxta omne beneplacitum tuum viuendo, & tibi seruiendo, resurrectionis tuæ testis fiam, vti veram pacem pectoris in presenti, & æternitatis in futuro, te misericorditer dominante, impetrare valeam, Amen.